DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VI. APRILIS.

M. IACOBO PERREAV, Doctore Medico Præside.

An Pisces conualescentibus? 1055

NOVERCAM vni sibi venisse naturam, nimis quàm facili & expositæ præ cæteris viuentibus alimenti injuriæ obnoxius homo proquiritari meritò potuisset; nisi ea immunitate plenaque licentia rerum vtendarum dominum se ac modiperatorem protinus intelligeret: sic vt qui communem aliàs cum stirpibus & brutis nascendi moriendique sortem acceperat, hâc naturæ indulgentioris vindicta plusquam Prætoria, facto pro arbitratu eorum periculo quæ naturæ prima, normam deinceps ipse sibi poneret, scriberetque salubriùs viuendi. Hinc Diætæ lex integrè sanis, aut causariis non vna, nec par ægris, vel è morbo naufragis, ac conualescentibus; quia, nec vna, neque vlli vsquam adeò sincera & solida sanitas obtigit, nec morbus vnus, iidemue hinc & inde cuique patent carceres in Orcum vel lucem; quanquam vt vitæ, ita victus communia & prima è contrariis, à contrariis, in contrariis elementa, quibus stant simul solido nexu artis & naturæ labor, tutela sanitatis, morbi semina, maleficia, vindiciæ. Hinc omnibus pro voto & scopo esse debuit quærenda in alimento prior potiorque medicina; nemini licet tam æqua & beata, vt nunquam læserit, vel in ea peccarit artifex, errore semper de cæterò conualescentibus quàm sanis grauiore, præsentiore.

MANET quippe hos, illosque, multò maior certiorque noxa ex inconsiderato alimenti vsu, quàm siderum positu inimiciore, aërisue inquinamentis, cibo etiam quâm potu: his tamen quàm illis vt minora, sic rariora, breuiora, innocentiora ventris peccata: seueriori idcirco Diæteticæ artis legi in his plerumque dissimulanda, illis permittenda nunquam; sed tum quoque quum sæua crudaque consuetudinis tyrannide naturæ iura occupant, oppri muntque, si qua superest ratione, coercenda, castiganda; quæ conualescentum causariorumque famelica natio, longa macie ac tabitudine efferta, dudumque feriati ventris acta intemperiis, vltrò volens ac sciens sæpius admittit, ad Chœnicem iustumque demensum, malè sanam, peiùs securam ingluuiem nescia circunscribere. Siue enim quidquid erat virium, primique roboris acuti morbi vis vltima cìs paucos dies exhauserit, aut misera diuturnæ valetudinis tandem afflixerit patientia, dum alij pretiosis roborantibus delusos enicant, incenduntque ieiunosioris corpusculi annonam; hanc tu ipse contrà naturæ propitius iubeas conualescere, modò ita laxes vt simul comprimas, scitè doctus inter eas rerum ægri angustias, non mole, aut substantia, sed facultate alimentum æstimandum, operi non oneri mox futurum.

TALE vero rerum pater Occeanus pisculento sinu suppeditauerit, cuius gratia excidunt qui de cælo pluunt pisces, vel è terræ visceribus contumulati eruuntur, putriue residum aquarum vligine & situ aluntur torpidi sordidique; quales in lacubus, viuariis, lacunis, vel piscina etiam Neapolitana, gulæ promuscondus crastini securus aluit & condidit. Vt vitæ sic bonitatis ambiguæ πελαγοθαλάττιοι, λιμνοθαλάττιοι, ἀνάδρομοι, κατάδρομοι; fluuiatiles, haud alioquin illaudati; præ illis fuerint pro nautea, si modò melioris succi sollicitus egeris delectum. Apage ganearum cupedias, Ditis fercula, suo victitantes succo ostreas, mytulos, lepadas, chamas, pectunculos, vertebras, pinnas, testa veluti conditiuo sepulta, vasti purique elementi æstu nauseabundo vomiturientis totidem rejectamenta. Dos bonitatis integra & prima sit Pelagiis Boreæ inquilinis, non illis quidem erronibus cursu nimisquam duris; non littoralibus parasitica ingluuie omniuoris lurconibus; verùm saxatilibus bene sobriis succique castigatissimi. Primas ex his sibi habeat ruminalis Scarus ex Epheso, è Ponto Turdus, Gobio, Phycis, Perca è Strophadibus, Iulis ex Adria, vnique notus Hippocrati Elephitis; assi omnes quam elixi, vel sine iure, arbitris Galeno, eruditique plurimùm oris Apicio sedentibus, nullo non tempore reliquis præferendi.

OMNIBVS suo merito acceptam alibilis succi gratiam sic isti repræsentant, vt ab eiusdem vitio, si experiaris, planè videantur immunes. Si temperiem requiris? Febriculoso calore non adeo procliuis illa vt de facili ignescat, aut secus vitæ focum inimicissimo frigore restinguat, minuatue, vel alieno humore sui impotens exundet. Si substantiam ad libellam exigas? crassi tenuisque medium constanti tenere libramento tu ipse obseruaueris? vt nihil inde naturæ, quamuis ægriùs tum coquenti sit factura negotij, aut morarum sua singulis partibus diaria diribenti; procul hæc à solemni analectorum querela, quâ cæteræ dapes crasso & pertinaci succo, etiam tum suo genio belligerantem parcipromum molestiùs grauant; inde laudatissimi sanguinis salit vena, qui temperie vt consistentia medius sanis, ægris, sortis ambiguæ causariis accommodatissimus. Quamobrem natura vel affectione calidis siccis, & quod vix credas? plus æquô humentibus, opportunè feceris oblatis piscibus medicinam, elixis quidem febricitanti; assos non febrienti si pro carne dederis nil peccaueris. Ita ex arte consulas diariæ (præsente licet obstructionis noxa, balneo recuranda) tertianæ, quartanæ, catharro, sputo sanguinis, cancrosis, cephalalgicis, calculosis affectibus; neque etiam epilepticis ἐπιτηδειότατοι qui Pelagij, vti neque saxatiles friabili teneraque carnis mollitudine præcipui, his, quibus tenuante victu opus est, vel sellulariis, senibus, sanis, imbecillis, laborantibus interdicendi.

AT minimè omnium conualescentibus, vtpote quibus necdum ex integro flamma deferbuit, sed posthuma viuit adhuc fauilla sæpè relicta in rogum, dum superstitis huius in putri humore fermenti neglectis igniariis alitur clanculum & fouetur: neque tum in vado res ægri pace sequestra satis videntur compositæ; cui aliàs morbi vi, naturæ nixu improbo, artis præsidiis sic exarmato, ægræ pendentisque valetudinis vel ipsa imbecillitas iure faciat controuersiam, morbique iam iam redituri haud inanem metum augeat pertinaci fastidio τῶν ἀναγκαίων grauis vsus. Quid illi tandem fiet, si auido & exhausto, eorum alimentorum indulgentior feceris copiam, quæ firmis solùm benéque valentibus robur addunt, conferuntue, qualia δύσπεπτα, πολύτροφα, modò εὔχυμα, ἰσχυρότατα, his scilicet alimenta, illis venena; quibus vt offeras ἀσθενέστερα, atque πρὸς σώματος αἴσθησιν, cibi modum κατὰ τὸ πλῆθος, & quod magis vrget κατὰ δύναμιν maturè statuas, ipsa naturæ ad obuia quæque cespitantis impotentia satis admonet. Cauesis igitur ne quicquam occupes vel præstes ominosiùs, si pauperem foculum alimenti strue adobruas, modico, verùm assiduo & accurato pabulo, facta sensim vtilis substantiæ accessione, suscitandum. Haud alia equidem arte excitaturus es luculentiorem, quàm si boni succi ὀλιγότροφα, non idcirco pluris excrementi insimulanda, quæ perfacilè mutentur, subeant, nil grauent, conualescentibus accepta sint; non ea quæ recentem accersunt aut reuocant, vbere quanquam integro succo occasionem recidiuæ; quam causarius quisque amoliatur, pisce demum futurus sanior, nisi cum Syris aut Ægyptiis symbolum ad cœnam fundi sui desertor condixerit.

Ergo Pisces conualescentibus.



Proponebat Lutetiæ ÆGIDIVS LE BEL Parisinus A.R.S.H. M. DC. LVI.